



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. LXIII. De Irregularitate ex Homicidio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

Erotem. Eccles. Cap. LXIII. De Irregularitate &c. 97

habet locum in damnis præteritis usque ad ejus mortem, non autem in subsequenter. Emin. Card. de Lugo *de just. & jur. disp. 11. num. 63.* & Tambur. *dict. cap. 4. §. 3. num. 10. & 11.*

7. *Quer.* An homicida aliquid debeat creditoribus occisi? item pauperibus, quibus occisus eleemosynas facere solebat? nec non amicis, quibus ex liberalitate, vel gratitudine multa donabat? *Resp.* Negative, nisi homicida eo animo, & intentione occidisset, ut supradictos iis bonis privaret; tunc enim, quia occisor contra justitiam peccaverit, ad resarcienda damna iisdem teneretur. Lessius *de just. & jure lib. 2. cap. 9. num. 154.* Tambur. *dict. lib. 6. in Decalog. cap. 4. §. 3. num. 12. & 13.*

8. *Quer.* An hæredes homicidæ, qui fuit poena personali punitus, teneantur resarcire damna filiis, uxori, & aliis descendentes ab occiso? *Resp.* Affirmative, si isti sint pauperes; secus si sint divites; hi enim solent esse contenti poena personali inflicta per Judicem. Sanchez *lib. 2. consil. cap. 4. dub. 6.* Lessius *d. cap. 9. num. 138.* Tambur. *d. §. 3. num. 14.*

9. *Quer.* An qui invasus excedit modum necessariae defensionis, & invasorem occidit, teneatur ad restitutionem damnorum hæredibus occisi? *Resp.* Negative, quia invasor aggradiendo alium videtur cedere suis damnis; & ad summum posset invasus condemnari in aliquam partem ad arbitrium prudentum virorum. Tambur. *d. lib. 6. in Decal. cap. 4. §. 3. num. 15. & 16.* ubi idem affirmat de eo, qui poterat fugere, & non fugit; sed aggressorem occidit.

10. *Quer.* Si quis excitet socios ad pugnam pro sui defensione, ut facere solent Scholares Patavii, dum rixam ineunt contra Satellites; & unus ex sociis occidatur; Utrum, qui excitavit dictos socios, teneatur ad restituenda damna hæredibus occisi? *Resp.* Cum distinctione. Si pugna erat justa, ad nihil tenetur. Si autem injusta, tenebitur restituere damna, quia excitans operabatur contra justitiam. Emin. Card. de Lugo *de just. & jure disp. 12. num. 58.* & Tambur. *dict. §. 3. num. 19.*

11. *Quer.* An homicida teneatur facere restitutionem pro bonis spiritualibus, quæ occisus facere solebat, vel decreverat; exempli gratia Missam unam in hebdomada, vel aliam eleemosynam? *Resp.* Negare Lessius *de just. & jure lib. 2. cap. 9. dub. 25.* Affirmare Tambur. *dict. §. 3. num. 20. & 21.* quia ea opera spiritualia habent in se certitudinem.

12. *Quer.* An percussor pro cicatrice illata, vel mutilatione alicujus membri, præsciendando ab aliis damnis temporalibus, teneatur aliquid restituere? *Resp.* Negative, quia bona altioris ordinis, qualis est vita, non compensantur bonis inferioris ordinis, qualis est pecunia. Lessius *de just. & jure lib. 2. cap. 9. dub. 23.* & Tambur. *dict. lib. 6. in Decalog. cap. 4. §. 3. num. 22.* ubi advertit, contrarium docere plures Scotistas.

13. *Quer.* An teneatur ad restitutionem illæ, qui volens occidere Petrum, occidit

Doct. Clericali Tom. II. Lib. VII.

Paulum per errorem? *Resp.* Esse hinc inde opiniones; alii enim negant teneri, quia occisio Pauli fuit involuntaria; idè si Paulus esset Clericus, occisor non incurreret excommunicationem. Alii affirmant, quia occisor dabet operam rei illicitæ, cum vellet occidere Petrum. Sanchez *de Matr. lib. 9. disp. 32. num. 26.* Tambur. *dict. §. 3. num. 23. & 24.* Et Emin. Card. de Lugo *de just. & jure disp. 7. num. 25. ac etiam disp. 17. num. 75.*

14. *Quer.* Si tu infecisti veneno vinum bibendum à tuo inimico, quod amicus superveniens bibat, & moriatur, erisne tu homicida, & irregularis? *Resp.* Negative, si non poteras monere amicum absque periculo tuæ vitæ; fuit enim ejus mors tibi involuntaria. Emin. Card. de Lugo *de just. & jure disp. 8. num. 86.* Tambur. *dict. lib. 6. in Decal. cap. 4. §. 4. num. 2.* Sic obiit Alexander Papa VI. ut ait Platina *in ejus Vita.*

15. *Quer.* Si tu coactus à latronibus ostendisti domum Pauli, qui ab illis occisus fuit, & domus incensa, teneris ne tu ad restitutionem damnorum? *Resp.* Negative, si coactus; at affirmative, si sine coactione. Emin. Card. de Lugo *disp. 41. num. 21.* Tambur. *dict. §. 4. num. 3.* Diana *part. 5. tract. 4. resol. 63.* Quæ in Coordinato est *tom. 8. tract. 5. resolut. 84.*

16. *Quer.* An sit reus homicidii, qui consilium dedit alicui, ut hominem occideret? *Resp.* Si occisor erat omnino determinatus ad illum hominem occidendum, Consulens non est reus homicidii, neque est irregularis. Secus autem si motus fuit illo consilio. Tambur. *dict. lib. 6. cap. 4. §. 5. num. 2.*

CAPUT LXIII.

De Irregularitate ex Homicidio.

1. *Quer.* Petrus consuluit tibi, ut homicidium faceres; Paulus tibi mandatum dedit de eodem homicidio faciend. Petrus, & Paulus ante executionem revocant consilium, & mandatum; eruntne rei homicidii, & irregulares, si tu nihilominus homicidium facies? *Resp.* Alios DD. asserere de consulente; negare de mandante; alios verò DD. de utroque docere, quod non sint rei, neque irregulares, ut scribit Diana *part. 3. tract. 5. resolut. 83.* & *part. 4. tractat. 2. resolut. 14.* Quæ in coordinato habentur *tom. 5. tract. 2. resolut. 41.* & *tom. 5. tract. 5. resolut. 114.* & Tambur. *dict. lib. 6. in Decal. cap. 4. §. 5. num. 3. & 4.*

2. *Quer.* Petrum tuo nomine homicidium fecit; quod tibi significatum ratum habuisti: erisne tu irregularis, & obligatus ad damna resarcienda? *Resp.* Negative, quia ratum habere non est mandare, neque consulere. Emin. Card. de Lugo *de just. & jure disp. 19. num. 32.* Tambur. *dict. §. 5. num. 7.* ubi tamen advertit, quod qui ratam habet occisionem Clerici suo nomine factam, incurrit in excommunicationem; quia hoc specialiter est statutum in Jure per Text. in *cap. Cum quis, de Sentent. Excommunic. in 6.* quæ Constitutio

N

tio

tio non se extendit ad irregularitatem, neque ad restitutionem damnorum.

3. *Quer.* An qui voluit Petrum occidere, sed tantummodo vulneravit, incurrat irregularitatem? *Resp.* Negativè, si Petrus sanus fiat; & dummodo ei aliquod membrum mutilatum non fuerit. Ugolin. de Irregular. cap. 4. §. 6. num. 2. & 3. Membra autem, ex quorum mutilatione insurgit irregularitas in mutilante, sunt ista: Oculi, Aures, Nares, Lingua, Manus, Genitalia, & Pedes. Idem Ugolin. d. cap. 4. §. 4. pag. 16.

4. *Quer.* An irregularis ob homicidium voluntarium dispensari possit ab Episcopo saltem circa minores ordines, seu beneficium simplex? *Resp.* Negativè. Fagnan. in cap. Henricus num. 43. de Clericat. pugnan. in duello.

5. *Quer.* An si irregularis ex homicidio de facto suscipiat Ordines, incurrat aliquam Censuram, vel novam irregularitatem? *Resp.* Negativè; & si celebret, tantummodo peccabit mortaliter; & ad obtinendam dispensationem satis est, exprimere suam irregularitatem, & nihil tenetur dicere de susceptione Ordinum. Pax Jord. tom. 1. lib. 3. tit. 6. à num. 389. & seqq. ubi num. 390. ait, id esse notatu pulchrum.

6. *Quer.* An irregularis quis evadat ob homicidium casuale; non autem voluntarium, neque deliberatum? *Resp.* Tres casus esse distinguendos. Primus casus est, quando occidens, vel mutilans dabat operam rei illicitæ; & in hoc casu fit irregularis, quia est voluntarium quo ad causam: Fagnan. in cap. Ad audientiam num. 19. de Homicid. tom. 6. pag. 263. ubi dat exempla de Clerico Venatore, qui credens telum immittere in feram, interfecit hominem; secus si pellens porcos ex agro, inadverterent cum lapide occidisset puerum. De Clerico, qui se inebriat, sciens in ebrietate se solitum esse furere, si quem ebrius occidat. De mandante verberare aliquem, si executor mutilet, vel occidat. De consulente capi castrum, vel machinam jactari. De associante illum, qui vadit ad aliquem occidendum. De eo, qui animum alicujus inflammavit ad vindictam, ex qua fecit homicidium. Ita Fagnan. ibid. à num. 20. usque ad num. 33. Secundus casus est, cum quis dabat operam rei licitæ, sed non adhibuit debitam diligentiam: nam & hic fit irregularis, Fagnan. in dict. cap. Ad audientiam à num. 35. & seqq. ubi exemplificat de eo, qui scit, se in somnis arma sumere; & antequam vadat dormitum, ea non abscondit. De Chirurgo ignaro artis suæ, si infirmus moriatur. De illo, qui tenet urfos, aut leones non bene custoditos. De Clerico, qui cum fune misit puerum in puteum ad sumendam suppellectilem, si fune fracto puer suffocetur. Et de illo, qui in Campanili attraxit funem Campanæ, ne quis eam pulsaret, licet sentiret gravi pondere funem onustum, cumque descendisset, invenit puerum, qui manibus funem tenebat, illapsum, & mortuum; hunc enim Sacr. Congregatio declaravit irregula-

rem. Tertius casus est, cum quis dat operam rei licitæ, sed cum intentione nocendi; unde qui fenestram aperit, sciens aliquem, se projecturum ex ea, vel furem denunciatur, aut tradit Judici cum intentione, ut morti tradatur, fit irregularis. Fagnan. ubi supra num. 45. & Tamburin. de Irregularitate cap. 15. §. 2. per totum, & §§. 3. 4. 5. & 6. ubi plenissime agit de Irregularitate ex homicidio casuali.

7. *Quer.* An in jure sint expressi aliqui casus, in quibus incurritur Irregularitas ob homicidium casuale, & non voluntarium? *Resp.* Esse tres casus expressos. Primus est de Clerico Chirurgiam exercente, si ex sectione venæ, vel aduisione sequatur mors. cap. Tua nos. de Homicid. ubi DD. Secundus est, de mandante aliquem verberari, cum prohibitione, ne occidatur, si nihilominus mors eveniat. cap. ult. de Homicid. in 6. & ibi Barbosa. Tertius est, de Clerico colludente cum muliere pregnantem, si ex ludo sequatur abortus fœtus animati, cap. Sicut 20. de Homicid. quem exornant Canonistæ super illo scribentes.

CAPUT LXIV.

De Bello.

1. *Quer.* Quid sit Bellum? *Resp.* Quod est Regum, seu Principum, sive liberorum populorum discordia, arma sibi invicem inferentium. Calepin. in Verb. Bellum, ubi Festus ait, Bellum dici à belluis, eo quod belloarum sit, mutuo se laniatu conficere; & differt Bellum à prælio, seu pugna, vel certamine; quia hæc dicuntur, quoties fit conflictus; Bellum verò est totum illud tempus, quo durat discordia inter Principes.

2. *Quer.* Quotuplex sit Bellum? *Resp.* Esse duplex. Defensivum, quando Princeps, vel Respublica vim sibi injuste illatam armis repellit. Et Offensivum, cum ipse Princeps, vel Respublica iustis de causis inimicos suos aggreditur: quod quidem est licitum Principibus, ut ostendit S. August. lib. 2. contra Manichæos, qui contrarium asserbant; & probat Mastrius in Theol. Mor. disp. 10. num. 106.

3. *Quer.* Quot sint conditiones ad Bellum justum requisitæ? *Resp.* Esse tres. Prima, est legitima auctoritas, quæ solum residet in Principe, aut Republica non recognoscente alium Superiorem; nam si alium recognosceret, ad ipsum deberet recurrere, ut sibi jus faceret. Secunda, est iusta causa, seu iustus bellandi titulus; hæc autem generatim loquendo est injuria illata Principi, vel Republicæ; quæ debet esse gravis, ut tanta poena puniatur; videlicet, ad recuperandum regnum, ad reprimendos subditos rebelles; & hæc causa debet esse Principi certa, & explorata, non autem dubia; & approbata à viris doctis, & timoratis. Tertia causa est recta intentio bellantium; ut scilicet non ex odio, sed pacis studio, & ut mali coercerentur, & boni subleventur, bellum fiat. Mastrius in Theol. Mor. dict. disp. 10. num. 106. & seq. Lezana in Summa tom. 3. Verb. Bellum,